



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ludolphi, rectoris ecclesiae parochialis in Suchem, De
itinere terrae sanctae liber**

Ludolphus <Suchensis>

Stuttgart, 1851

XII. De passagio volucrum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9333

ercentes; sed si ita in arboribus crescant, mihi non constat nisi ex auditu: sed pro piscibus comeduntur et ab hominibus per mare transeuntibus volare videntur.

XII. DE PASSAGIO VOLUCRUM.

Etiam est sciendum quod temporibus congruentibus quam plurima avium et avicularum genera per mare passagium¹ faciunt de occidente in orientem et e converso, specialiter grues, quisculæ² et hirundines, et quam plurimæ aves et aviculæ magnæ et parvæ diversi coloris, diversæ dispositionis et figuræ, quarum nomina et naturam solus novit deus. Sed de insula ad insulam volant quo usque transeunt et sunt tam macræ, quod nil habent nisi pennas et ossa, præ lassitudine iacturas lapidum et sagittas non curantes. Nam quisculas in navi in mensa³ cepi, quæ tamen statim moriebantur. Attamen in omnibus partibus ultramarinis in quibus unquam fui, numquam ciconiam vidi; sed semel in quodam claustro fratrum minorum vidi unam ciconiam, quæ pro magno monstro reputabatur. Item de hirundinibus sæpius sum interrogatus, si de hieme essent in partibus meis. Respondi quod non, sed in partibus meis, sicut ibi, in Martio veniunt, et unde veniant, penitus ignoratur. Unde accidit quod in palatio cuiusdam magni domini quadam vice dispensator curiæ dormiebat supra mensam, et veniebant duæ hirundines pro nido rixantes et morsibus se invicem tenentes; itaque super faciem dormientis ambæ ceciderunt, qui inde expergefactus ambas hirundines supra faciem suam cepit et obtinuit et unicuique ipsarum zonam alligavit⁴ et ipsas volare permisit, quæ omni anno cum eisdem zonis ad nidos suos sunt reversæ. De aliis avium et avicularum generibus, quæ suis temporibus per mare transeunt, singulariter longum esset enarrare, sed ut redeam ad propositum plura de talibus scribere desisto.

1. Passagium = transitus. Du Cange, Gloss. T. V. p. 120. — 2. *Wachteln*. Mit *it.* quaglia, *fr.* caille, *verwandt*. Bei Du Cange, T. V. p. 568 steht: quisquilla = coturnix. — 3. *So AB.* immensas *C.* sehr vil *Wachtel F.* — 4. *So A B.* In *C* signavit *und* cum eisdem signis, *wie auch F und M übersetzen.*